

reus cum sua deductione innocentiae est audiendus, cum rei partes semper sint favorabiliores, quam actoris. *l. 125. ff. de R. J.* Et hoc ampliatur, quod scilicet reus innocentiam suam probare volens admittendus & audiendus sit, etiamsi non statim appareat, justam defensionis causam subesse. Hippol. de Marfil. in *Pract. Crimin. §. Quoniam num. 76. fol. 429.* Wesemb *ad Tit. de Accus. num. 12 fol. 492.* Hoc enim Jus naturale postulat, ut quivis etiam propalam delinquens reus audiatur, nec cuiquam defendendi facultas adimatur ne quidem à Principe, Jul. Clar. *l. 5. Sentent. question. 49. numer. 13. fol. 670. 671.* Reufner. *l. 2. decis. 10. numer. 10. fol. 39.*

Exceptio tamen habetur in textu: *Modò rei probatio fuerit alicuius momenti & relevans: & à Judice possit admitti:* Nam si planè fuerit nulla, superflua, & irrelevans, Judex potest eam rejicere, juxta regulam Juris: *ad probandum non admittitur, quod probatum non relevat.* Wesembec. *ad Tit. Cod. de Probat. num. 58. & seqq. p. 882.* Quamvis satius fuerit, peritorum consilium requirere, numquid articuli probatoriales fuerint relevantes nec ne? In dubio tamen tutius est, sub illa clausula: *Salvo Jure impertinentium & non admittendorum* ejusmodi articulos recipere, quod satius sit, superfluum admittere, quam necessarium omittere. Et inde est Regula: Judex in ducio semper illam partem eligere debet, quæ minus onerosa est utrique parti, per eam tamen utrique parti consuliter. Blumbl. *ad h. artic. p. 184.*

ARTIC. LXXV.

Cujus sit in testes evocatos sumptum facere.

Von Verzehrung der Zeugen.

WEr in peinlichen Sachen Kundschaft führet / der soll einem jeglichen Zeugen von ungemeynen Leuten und Fußgängern / für seinen Kosten / einen jeden Tag / dieweil er in solcher Zeugenschaft ist / acht Creuzer / oder so viel Berths / nach eines jeden Lands Münz Gelegenheit / geben. Aber mit andern und mehrern Personen / soll es derhalben / nach Erkantnuß der Kundschafts Berhörer / gehalten werden.

AD